

Cap. III. De viris et mulieribus^a, si sit aliquis homo vel aliqua^b femina homicida, sacrilegus, periurus, raptor; si parentibus coniunctus, si leno; si adulter aut per herbas vel per aliquod maleficium aliorum hominum interemptor; si aliqua femina infantem oppressisset; si sint inter se discordantes et ad pacem non velint redire; si diem dominicum et festivitates sanctorum vel indictum ieiunium non observent^c, patrem aut matrem non honorantes.

Beilage III.

Sermo synodalis.

(Ex cod. Monac. 3853 fol. 123', c. CLXXII.)

Ideo vos fratres ad hoc colloquium convocavi, ut communiter tractaremus de statu sanctae ecclesiae, quae nobis presbyteris post episcopos commissa est ad regendum, et de nostro ministerio, quia rectores et procuratores ecclesiastici esse debemus in eo, ut, ubicumque aliquem ex illis, qui nobis commissi sunt, errare conspexerimus, rigore ac lenitate ad viam salutis revocare debemus, ne pereat propter nostram negligentiam, quia non solum de nostris, sed etiam de nobis creditis animabus rationem reddituri sumus in die iudicii. Magnus honor et potestas, si adtendere vultis, nobis data est a Deo. Non constituit Deus, ut laicis et secularibus hominibus subiecti simus et illi nos iudicent, sed nobis potestas data est illos iudicare, sicut Petro dicitur: 'Quodcumque¹ ligaveris super terram, erit ligatum in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum in caelis'. Nos eos ligamus et solvimus et pro suis peccatis in paenitentiam mittimus episcopo reconciliationem servantes. Pro nostris interim negligentis et iniquitatibus a iusto iudice omnipotente Deo tunc tanto gravius iudicabimur, quanto hic honorem et potestatem supra ceteros habemus. Nullus in hoc confidat, quod sacerdos est, quod sacra ministeria contrectat, quod mediator est inter Deum et populum, quod populi preces et hostias Domino offert, si se castum et in omnibus prudentem non exhibet, sicut Domini esse debet minister. Plures sunt, pro dolor! ex vobis, qui sacerdotalem gradum et ecclesias ideo concupiscunt, ut plus ceteris habeant et

a) feminis M 2. b) om. Steiner. c) observant M 1, 2.

1) Matth. 16, 19.